



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs XLIII. De Presbytero non Baptizato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

aliis verò non nisi ex delegatione five commissione Episcopi vel Parochi: qui rationabili, puta suæ absentia causa, ejus administrationem etiam solennem Diacono committere possunt, *can. Diaconos 13. dist. 93.* Ex privilegio Sedis Apostolicæ hujus Sacramenti administrationem quidam, & nominatim Societatis nostræ Religiosi obtinent pro teris infidelium, fundatas parochias non habentium, ut *Tit. 29. n. 11.* est dictum.

29. Extra eundem necessitatis five moris casum Baptismus sine solennitate & consuetis Ecclesiæ ritibus: uti etiam extra Ecclesias, in quibus sunt fontes Baptismales, in Aulis vel Cameris & privatis domibus administrari graviter prohibetur: & Parochos secus facere præsumentes severè & ad aliorum exemplum castigare Episcopi jubentur *Clemens. Unica, hæc Rubr.* Quæ Constitutione, cum Regum duntaxat ac Principum &, secundum Glossam *ibi V. Regum*, aliorum notabilem & Regiæ dignitati comparandum potentatum, sive dominatum habentium Magnatum filii ac nepotes excipiantur: & cum debita solennitate in Aulis baptizari soli permittantur, non satis assequor, quâ ratione, an per sanctionum

Ecclesiasticarum contemptum vel ignorantiam, Parochi multò inferioris, & tantum non plebeia conditionis parentum prolibus Sacramentum hoc in privatis ædibus ita facile administrent, præsertim; cum *Clement. cit.* transgressores à mortalis peccati reatu præcipui nominis T. T. non excusent apud Vasquez *dist. 147. cap. 5. n. 3.* & Palao *Traçt. 19. dist. unie. p. 9. n. 6.*

Baptismi validè suscepti tres præcipuè: & primus quidem effectus est Gratia remissiva peccati Originalis in parvulis, & in adultis etiam actualis cujuscunque, *can. Firmissimè 2. Sc. dist. 4. de Consec. c. 1. & Clement. Unie. de Summa Trinit. c. Majores 3. pr. hæc Rubric. & Trident. Sess. 5. Decretis de Peccato Origin. can. 5.* Secundus Remissio totius pœnæ aternæ & temporalis, peccatis promerita, ut colligitur ex *cit. can. 5.* & clariùs traditur *Sess. 6. cap. 14. S. Thomas cit. q. 68. art. 5. & q. 69. art. 2.* Tertius, Character indelebilis animæ inhærens: ratione cujus Baptismi Sacramentum semel ritè susceptum iterari sine sacrilegio non potest, secundum Trident. *Sess. 7. de Baptismo, can. 12. & tradita Lib. 1. Tit. 16. n. 4.*

30.



TITVLVS XLIII.

De Presbytero non Baptizato.

SUMMARIUM.

1. Baptismus re ipsa susceptus infantibus:

2. In voto saltem, adultis ad salutem

3. *necessarius,* Januaque est ad cætera Sacramenta:

4. Ut ista sine Fluminis,

5. Imò vero Fluminis Baptismo invalidè suscipiantur.

R I T T 3

6. Et

6. Et nec Conjugium Sacramentum sit, nec Eucharistia sumptio fructuosa.
7. Institutus à Christo ante suam Passionem.
8. Et diversus est à Baptismo Joannis.
9. Non baptizatus invalide ordinatur.
10. Itaque exercet actus Ordinum susceptorum.
11. Baptizatus ordinandus non est ante Confirmationem.

Baptismus medium ad salutem necessarium esse, definitum est à Concilio Milevitano *can. Placuit* 151. *dist. 4. de Consecrat. relatio*, à Florent. in *Decreto Fidei* §. Primum, & Trident. *Sess. 7. can. 5.* & ab Innocentio III. *c. Majores 3. de Baptismo*; ut in Nova Lege infantes & alii etiam, rationis usum non habentes, sine eo reipsa suscepto; quod ejus Voti capaces non sint, ad cælum non perveniant, extra calum Martyrii, sive, cum in odium Fidei occiduntur, secundum S. Augustinum *Lib. 1. de Anima cap. 9.* Bellarminum *Lib. 1. de Baptismo cap. 4.* Suarez *in 3. p. Tom. 3. disp. 25. f. 1.* & cæteros DD. Catholicos omnes.

2. Adultis tamen ratione utentibus, Baptismi reipsa suscipiendi non habentibus copiam, vel se baptizatos, cum revera non sint, bonâ fide credentibus, ad æternam salutem consequendam ejus suscipiendi Votum sufficere, non obscure decisum est ab eodem Trident. *Sess. 6. cap. 4.* ibi, *Translatio in statum gratiæ post Evangelium sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Ratio clara est; cum enim quis ante Baptismum susceptum, eliciendo actum Contritionis sive dilectionis Dei super omnia, gratiam consequi valeat; ut, si post ejusmodi actum moriatur, ad vitam æternam per-

veniat, *c. Debitum 4. de Baptismo* & *Apostolicam 2. hâc Rubr.* & in ejusmodi Contritionis ac dilectionis actu, omnia præcepta Divina servandi, ac proinde etiam Baptismum suscipiendi votum continetur, Baptismus reipsa susceptus ad salutem simpliciter necessarius non est adultis, ejus suscipiendi non habentibus copiam, aut bonâ fide exultimantibus eum aliquando susceptum, ut cum S. Augustino *1. cit. & Lib. 8. de Civitate*, S. Bernardo *Epist. 77. ad Hug. de S. Viti.* & aliis tradunt *cit. Laiman. Lib. 5. Tract. 2. cap. 5. n. 6.* & Palao *Tract. 19. disp. univ. p. 8. n. 2.*

Sicut Baptismo ad cælum, sic etiam ad cætera Sacramenta via aperitur; cum, sicut ad illud & salutem animæ spirituales, *c. Majores cit. pr. 7. Cæterè*, sic ad Ecclesiam & Ecclesiastica Sacramenta janua sit, *can. Si quis 13. de Sac. & 1. q. 1.* ut, qui per eum ingressus non est Ecclesiam, ad Ecclesiasticos Ordines & cætera Sacramenta accedere non possit: ut ex unanimi DD. Orthodoxorum sensu observat S. Thomas *3. p. 4. 35. art. 3.*

An autem ad Ordines & cætera Sacramenta percipiendi necessarius sit Fluminis, vel sufficiat Fluminis Baptismus, fuere olim, qui in dubium & questionem vocarent Primò; quod homo non solum per Sacramentum Fidei, sed etiam per Fidem & desiderium Sacramenti fiat membrum Christi: qui est fundamentum, cui *Sicut salisfera opera*, *possint superadificari*, textus est *c. in. 7. Porro.* Secundo; quod, ut ibidem habetur, à non baptizatis Matrimonii & Eucharistiæ Sacramenta recipi possunt. Cui non etiam alia & sacra Ordinationis, Tertiò; quod ista etiam non necessariò supponat Fluminis Baptismum; cum hanc præ-

precefferit in Apostolis, à Christo Domino ante suam Passionem Sacerdotiò initiatis in ultima Cœna, Matth. cap. 26. v. 26. Marci cap. 14. v. 22. & Lucae cap. 22. v. 19. ubi eis consecrandi sive Eucharistiæ Sacramentum conficiendi potestas collata est, teste Trident. Sess. 23. cap. 1. baptizatis autem primùm post gloriosam Resurrectionem, cum Ghristus ipsis diceret, *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* Matth. cap. 28. v. 19. ut Rupertus Lib. 4. in verba, *Posthac venit JESUS &c.* Joan. cap. 3. v. 22. Theophylact. & alii in eadem verba volunt.

Huic tamen expositioni & rationum ternario prævalet decisio Innocentii III. e. fin. cit. V. *Quia verò*, ponderatis illis rationibus secuti sensum c. 1. relati Concilii apud Compendium sive in Caroli Regis Palatio celebrati: & eum, qui in Presbyterum ordinatus se non baptizatum deprehendit, baptizari atque iterum ordinari præcipientis, luculentò indicio Ordinum ante invalidè collatorum; quia Ordo validè collatus in anima imprimit Characterem; ideò que iterationi obnoxius non est, ex definitione Conciliorum Florent. §. *Primum cit.* & Trident. Sess. 7. can. 9. de Sacram. Ratio est; quia verus Fluminis Baptismus reliquorum Sacramentorum fundamentum & janua est, & disertè nuncupatur can. *Per Catechismum 2. de Cognat. Spirit. in 6.* & ab eodem Trident. Sess. 14. cap. 2. quòd, sicut totum ædificium innititur fundamento, can. *Cum Paulus 1. q. 2.* sic ipse supponatur ad cætera Sacramenta: & sicut janua ad interiora, sic ipse viam aperiat ad Ecclesiam & cætera Sacramenta. Quæ etiam ratio est, cur inter ista primò locò in eodem *Fidei Decreto*, à Trident. Sess. 7. can. 1. à Doctore Angelico 3. p. q. 65. art. 2. & aliis DD,

Orthodoxis referatur.

Neque, Fluminis Baptismus sufficere, evincunt pro eo allatæ rationes. Prima; quia, esto per ipsum sive fidem & desiderium Sacramenti quis membrum Christi fiat quoad internam conjunctionem cum illo per gratiam: non tamen ejus membrum fit quoad conjunctionem externam cum eo & toto corpore Ecclesiæ: cujus membra sacrò aliquò & sensibili sive externò signò in unum corpus colligantur, & Characterem per illud signum animæ impresso jus ad cætera Sacramenta & communia Ecclesiæ bona acquirunt, Gonzalez in c. fin. cit. n. 4.

Altera; quia sine Fluminis Baptismo initum matrimonium non est verum Novæ Legis Sacramentum, sed contractus merè Civilis: Eucharistiæ etiam ante illum de facto tantùm, non de Jure & licitè sumi potest; sicut enim Populus Israël ante transitum maris Rubri non potuit manducare Manna & de Petra bibere, sic ante Fluminis Baptismus, maris illo præfiguratum, Eucharistiæ sive Christi Corpus & Sanguis sumi licitè & fructuosè non potest, ex doctrina S. Basilii, qui Homil. 13. *Panem*, inquit, *Angelorum ille Populus Israël post Baptismum: sive maris Rubri transitum Manducavit: tu autem quomodò viventem comedes panem, nisi sumptò prius hòc Baptismi Sacramentò.*

Tertia; quia, licet non dogma Fidei, ut moderni quidam existimant, doctrina tamen S. Augustini in *Joan. Tract. 15.* à S. Thoma in 4. disp. 3. q. 1. art. 5. Suarez cit. Tom. 3. disp. 19. s. 1. conclus. 1. & aliis TT. recepta est, Baptismi Sacramentum à Christo ante suam Passionem & Mortem fuisse institutum, Ratio, quæ nituntur, solida est; quia veri Baptismi usus sive actualis baptizatio & baptizandi potestas supponit & probat ejus

bat ejus institutionem: verum autem Baptismum à Christo per discipulos suos ante Passionem jam collatum, patet ex illo, *Posthac venit JESUS & discipuli ejus in terram Judeam. & illic demorabatur eum eis & baptizabat*, Joan. cap. 3. v. 22. ubi imprimis Baptismum à Christo non per seipsum, sed per discipulos collatum ab eodem Evangelista clarè explicatur verbis, *Audierunt Pharisei, quòd JESUS plures discipulos facit & baptizat quàm Joannes: quamquam JESUS non baptizaret, sed discipuli ejus*, Joan. cap. 4. v. 1. & 2. Deinde à discipulis collatum, non Joannis, sed Christi Baptismum fuisse, indubitatum est; quòd, si non eò, quem Christus instituit, sed Joannis Baptismò usi fuissent, istius discipuli non tam conquerendi, ut ab ipsis factum Joan. cap. 3. v. 26. quàm gaudendi & gratulandi causam habuissent; quòd Magistri sui Baptismum à Christo viderent approbatum & receptum. Deum, à Christo per discipulos collatum, diversum à Joannis Baptismo fuisse, S. hic illius Præcursor luculenter testatur, eum se *In aqua*: Christum autem *In Spiritu sancto & igni*, eò scilicet, quò in Nova lege utimur, & gratia sanctificans confertur, baptismò baptizatum prædixit, Matth. cap. 4. v. 12. & Joan. cap. 1. v. 33. Unde

9. Aliud dubium oritur de valore consecrationum Eucharistia, Absolutionum & similium actuum, gestorum à Presbytero non baptizato. Et eos quidem actus, qui ab Ordine verè suscepto, ac proinde à Baptismo ex Divina institutione non pendent, si ille pro Presbytero, eos exercendi potestate prædito, communi errore habeatur, propter utilitatem publicam subsistere, arg. l. *Barbarius* 3. ff. de Offic. Prat. & §. *Veruntamen*, post *can. Infames* 3. q. 7. dictum est Lib. 2.

Tit. 1. art. 3. ad finem. An etiam, quòdo actus Jure Divino à Sacramentis illis, ut Consecratio & Absolutio, pendent, DD. variè: verè autem, meò quidem iudicio, illi sentiunt, qui eos pro irritis habent, cum Panormit. in c. *Appellatum* 2. n. 1. Decio in c. *fin. de Consecr. n. 4.* & Paludano in 4. *dist. 17. q. 6. m. 1. n. 6.* quòd ad eorum valorem necessarium Sacramentorum defectus ab Ecclesia suppleri & circa Sacramentorum substantialia aliquid immutari non possit, ut colligitur, ex Trident. *Sess. 21. cap. 2. de Sacram. Eucharistia.* Quæ, licet etiam S. Thomæ sententia sit, apud Sylvestrum tamen *V. Baptismu* 6. n. 3. non credi posse existimat, summum Sacramentum Christum defectum suppleturum quoad ultimos effectus Sacramentorum neque permissurum id diu occultum fore; ut inde magnum Ecclesie periculum imminere possit. Sed pia hæc credulitas in sacris Paginis aut lacris Canonibus facta data vix reperitur, ut probe advertit Sorus in 4. *dist. 24. q. 1. art. 4. §. ad tertium.*

Ipsi etiam baptizati sacri Ordinis, & primà etiam Tonsurà, initiati ante susceptum Confirmationis Sacramentum prohibentur ab eodem Trident. *Sess. 23. cap. 4. de Reformat.* Non; quòd Sacramentum hoc inlar Baptismi necessarium sit ad valorem Ordinationis, cuius ad istam Confirmationis Characterem necessariò supponi, nisi ipsam habeatur: sed quòd baptizatum plane perficiat eique ad spirituales pugnam conferat auxilium & robur; *can. 1. & can. De his 2. dist. 3. de Consecr.* quò Clericos præ ceteris fidelibus convenit muniri. Unde et *cap. 4.* sicut Ordinantibus, sic etiam Ordinandis, ne primà etiam Tonsurà ante Confirmationis Sacramentum susceptum initiarentur, impositum præceptum graviter obliget.

obligare, cum Tannero de *Sacram. disp.* 4. q. 4. n. 88. & aliis censet Pontius de *Sacram. Confir. cap. 3. n. 6.* cum; quod fit in materia gravi; cum Confirmatio ex speciali institutione Christi plurimum conferat ad conservandam Fidem & Charitatem: quibus virtutibus Clerici præ aliis fidelibus excellere debent: tum verò; quod Prælati Clericorum Ordinationi diligentem inquisitionem de ejus Sacramenti prævia receptione soleant præ-

mittere & sollicitè cavere; ne istò non receptò Ordines & prima etiam Tonfura recipiantur. Alii tamen, seclusò contemptu & speciali necessitate, ejus omissionem venialiter solum peccaminosam censent cum Laiman. *Lib. 5. Tract. 3. cap. 5. n. 4.* Palao *Tract. 20. disp. unica p. 8. n. 6. in fine* & Barbosa de *Offic. Episcopi alleg. 2. n. 15.* Videantur dicta *Lib. 1. Tit. 11. n. 49.*



TITVLVS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1. Eucharistia pro moribundorum Viatico,
2. Aliorumque fidelium solatio & necessitatibus:
3. Et pro delatione in publicis ac solennibus Processionibus,
4. In loco conspicuo tutoque,
5. Sub custodia Sacerdotis,
6. Accensâ coram ea lampade adservanda,
7. Et ad agros decenti habitu deferenda est.
8. Ipsa etiam Oratoria, in quibus adservatur, decenter ornanda.

cum & extremam Unctionem ministrari sit necesse, sanctissima Eucharistia & sacrum Chrisma pro illorum necessitatibus semper parata adservari debent.

Præter hanc causam idem SS. Sacramentum adservari in Ecclesiis consuevit Primò; ut Christum, etiam quoad humanitatem suam, Fideles semper haberent præsentem juxta ipsius promissionem, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. cap. 28. v. 20. Henriquez *Lib. 8. cap. 1. & Fagundez de Precept. 4. Eccles. Lib. 1. cap. 1. n. 4.* Secundò; ut deferretur ad Monachos & Moniales, vitam solitariam agentes in eremis: cujus rei meminit S. Basilius in *Epist. ad Casariam Parvitiâ* & Imp. Novell. 123. cap. 36. *V. Feminis autem.* Tertio; ut in Viaticum dari posset peregrè proficiscentibus; ex qua causa SS. Eucharistiam à Satyro fraude suo

S s s s

tre suo

1. Cum multis & sæpe inopinatis casibus infantibus primùm in lucem editis Baptisum, & aliis fidelibus infirmis sacrum Viati-